



## **Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio**

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt  
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Ab Innocentio XI. Ad Innocentium XII.

**Luxemburgi, MDCCXLI.**

47. Cum inter gravissimas, &c. Concessio nonnullarum Indulgentiarum pro  
Deputatis, aliisve quocumque nomine nuncupatis Ministris, & Officialibus  
Hospitiorum Pauperum ac Congregationum de Charitate ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74849](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74849)



vel alios, ut praefertur, faciendae decursurarum saltem semel visitaverint, ibique ut supra oraverint, ac quarta, & sexta feria, ac Sabbato alterius ex hebdomadis hujusmodi jejunaverint, pariterque peccata sua confessi, ac in die Dominica immediate sequenti, vel alia die intra eandem hebdomadam Sanctissima Communione refecti fuerint, & pauperibus aliquam elemosynam, ut praemittitur, erogaverint, plenissimam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem, sicut in Anno Jubilei visitantibus certas Ecclesias intra, & extra Urbem praedictam concedi consuevit, tenore praesentium concedimus, & largimur.

A Navigantibus, & aliis.

§. 3. Navigantes vero, & iter agentes, ut cum primum ad sua sese domicilia receperint, supra scriptis peractis, & visitata Ecclesia Cathedrali, vel Majori, aut Parochiali Loci eorum domicilii, eandem indulgentiam consequi possint, & valeant: Regularibus autem personis utriusque sexus, etiam in Claustris perpetuo degentibus, necnon aliis quibuscumque tam Laicis, quam Ecclesiasticis secularibus, vel regularibus, etiam in carcere, aut captivitate existentibus, vel aliqua corporis infirmitate, seu alio quocumque impedimento detentis, qui supra expressa, vel eorum aliqua praestare nequiverint, ut illa Confessarius ex jam approbatis a Locorum Ordinariis ante praesentium publicationem, seu approbandis, eis in alia pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tempus prorogare possit, eaque injungere, quae ipsi poenitentes efficere poterunt, pariter concedimus, & indulgemus.

Facultas eligendi Confessarium.

§. 4. Insuper omnibus, & singulis Christianis utriusque sexus tam Laicis, quam Ecclesiasticis secularibus, & regularibus cujusvis Ordinis, Congregationis, & Instituti, tam in Urbe praefata, quam extra eam ubique locorum, ut praefertur, degentibus licentiam concedimus, & facultatem, ut sibi ad hunc effectum eligere possint quemcumque Presbyterum Confessarium tam secularem, quam cujusvis Ordinis, & Instituti regularem ex approbatis, ut praemittitur, a locorum Ordinariis, qui eos ab excommunicationis, suspensionis, & aliis Ecclesiasticis sententiis, & censuris a jure, vel ab homine quavis causa latis, seu inflictis, necnon ab omnibus peccatis, excessibus, criminibus, & delictis, quantumvis gravibus, & enormibus, etiam locorum Ordinariis, sive Nobis, & Sedi Apostolicae, etiam in literis die Cenerae Domini legi solitis contentis, & alias per quaecumque nostras aut Romanorum Pontificum Praedecessorum Nostrorum Constitutiones, quarum tenores praesentibus haberi volumus pro expressis, quomodocumque reservatis, in foro conscientiae, & hac vice tantum absolvere, & liberare valeant, & insuper vota quaecumque (religionis, & castitatis exceptis) in alia pia, & salutaria opera commutare, injuncta tamen eis, & eorum cuilibet in supra dictis omnibus casibus poenitentia salvari, aliusque ejusdem Confessarii arbitrio injungendis.

Confessarii possint absolvere a reservatis S. Sedi, & Ordinariis.

Commutare vota exceptis Religionis, & Castitatis.

Mandatum Universis Praelatis de Jubileo publicando.

§. 5. Quapropter tenore praesentium in virtute sanctae obedientiae districtè praecipimus, atque mandamus omnibus, & quibuscumque Ordinariis locorum ubicumque existentibus, eorumque Vicariis, & Officialibus, vel iis deficientibus, illis, qui curam Animarum exercent, ut cum praesentium litterarum transumpta, aut exempla, etiam impressa, acceperint, illa statim absque ulla more, retardatione, vel impedimento per suas Ecclesias, & Dioeceses, Provincias, Civitates, Oppida, Terras, & loca publicent, & publicari faciant, Ecclesiamque, seu Ecclesias visitandas designent.

Vigore Jubilei non intendit dispensare super Irregularitatibus.

§. 6. Non intendimus autem per praesentes super aliqua irregularitate publica, vel occulta, nota, defectu, incapacitate, seu inhabilitate quomodo contracta dispensare, vel aliquam fa-

cultatem tribuere dispensandi, seu habitandi, & in pristinum statum restituendi, etiam in foro conscientiae; neque etiam easdem praesentes iis, qui a Nobis, & Apostolica Sede, vel ab aliquo Praelato, seu Judice Ecclesiastico excommunicati, suspensi, interdicti, seu alias in sententias, & censuras incidisse declarati, vel publice denunciati fuerint, nisi intra tempus dictarum duarum hebdomadarum satisfecerint, aut cum partibus concordaverint, ullo modo suffragari posse, aut debere.

Neque suffragari publice excommunicatis.

Derogationes.

§. 7. Non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, praesertim quibus facultas absolviendi in certis tunc expressis casibus ita Romano Pontifici pro tempore existenti reservatur, ut nec etiam similes, vel dissimiles indulgentiarum, & facultatum hujusmodi concessiones, nisi de illis expressa mentio, aut specialis derogatio fiat, cuiquam suffragari queant, necnon regula nostra de non concedendis indulgentiis ad instar, ac quorumcumque Ordinum, & Congregationum, sive Institutorum regularium, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus: Privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apostolicis eisdem Ordinibus, Congregationibus, & Institutis, illorumque personis quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis, etiam de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores praesentibus pro servata habentes, hac vice specialiter, nominatim, & expresse ad effectum praemissorum derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Fides transumpti.

§. 8. Ut autem praesentes Nostrae, quae ad singula loca deferri non possunt, ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus ut earumdem praesentium transumptis, vel exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personae in dignitate Ecclesiastica constitutae munitis, ubique locorum & gentium eadem prorsus fides habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae, vel ostensa.

Dat. 8. Dec. 1693. P. A. 3.

Dat. Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 8. Decembris 1693. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

J. F. Card. Albanus.

Anno a Nativitate Domini Nostri JESU Christi millesimo sexcentesimo nonagesimo tertio, Indictione prima, die vero septima Mensis Decembris, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, & Domini Nostri, Domini INNOCENTII Divina Providentia Papa XII. Anno Tertio; Supradictum Breve afixum, & publicatum fuit ad valvas Ecclesiae Sancti Johannis Lateranensis, Principis Apostolorum, & Sanctae Mariae Majoris de Urbe, & in Aede Campi Flora, ac in aliis locis salutaris, & consuetis Urbis, per me Joannem Grecum ejusdem Sanctissimi Domini Nostri Papa Cursorem.

Publicatio in Urbe.

Thomas Orlandus Cursorum Magister.

XLVII.

Concessio nonnullarum Indulgentiarum pro Deputatis, aliisque quocumque nomine nuncupatis Ministris, & Officialibus Hospitiorum Pauperum, ac Congregationum de Charitate nuncupatorum ubivis tam haecenus erectorum, seu erectarum, quam in posterum quocumque erigendorum, sive erigendarum.



INNOCENTIUS PAPA XII.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

Proceſſu  
ab erec-  
tione  
ne Hoſpiti-  
i  
Pauperum  
Invalido-  
rum in Ur-  
be & ſimi-  
lium, vel  
ſalutē  
Congrega-  
tionum in di-  
verſis par-  
tibus.

CUM inter graviffimas, multiplicesque curas, quibus ex Sacroſancti Apoſtolatus humilitati noſtræ divinitus commiſſi debito inceſſantèr urgeamur, illa præcipuè animum noſtrum angat ſollicitudo, quam de pauperum, & egenorum neceſſitatibus tum ſpiritualibus, tum temporalibus ſublevandis corde jugiter verſamur; ac proinde quemadmodum, ne quiſquam indigens, aut mendicus eſſet inter nos, ejus auxilio adjuvi, cujus oculi in pauperem reſpiciunt, quemque electis ſuis in noviffimo die dicturum credimus: quamdium feciſtis uni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis, non ita pridem Hoſpitiū Apoſtolicum Pauperum Invalidorum in Alma Urbe Noſtra, ex qua bonorum operum exempla in omnes Chriſtiani Orbis partes præmanant, ereximus, & inſtituimus, ita ſimilitèr ubique locorum, & gentium, ac præſertim in reliquis Civitatibus, & locis Temporalis S. R. E. Ditionis, ejuſmodi Hoſpitia, per quæ eorundem Pauperum animæ, ac corporis ſaluti opportunè conſulatur, ſeu ſaltem pias quaſdam Congregationes de Charitate nuncupatas, ubi ſcilicet iſtæ ad rectam, ac ſalubrem ipſorum pauperum directionem, & curam ſufficere videbuntur, erigi, ac inſtitui: Sicubi verò, benedicente Domino, Hoſpitia, ſeu Congregationes hujusmodi erecta, ſeu erectæ, & inſtituta, ſeu inſtitutæ fuerint, conſervari, & augeri ſummè cupimus; atque ad id rùm Venerabilium Fratrum Archiepiſcoporum, & Episcoporum, aliorumque Eccleſiarum Prælatorum, & Ordinariorum, rùm dilectorum filiorum noſtrorum, & Apoſtolicæ Sedis de laterè Legatorum, ſeu eorum Vicelegatorum, necnon Præſidentium, & Gubernatorum Provinciarum, Civitatum, Oppidorum, & Locorum quorumcumque Nobis, & dictæ Sedi tam mediatè, quam immediatè ſubjectorum, zelum, vigilantiam, & pietatem, datis ad eos juſſu noſtro literis, excitare, atque urge curaverimus.

Ut ubique  
fideles ala-  
crius pio  
operi in-  
tendant  
concedit  
Deputatis  
indulgen-  
tias.

§. 1. Hinc eſt, quòd Nos illius, qui Mendicus, & Pauper dici non abhorruit, ac propter Nos egenus factus eſt, cum eſſet dives, ut ejus inopiã nos divites eſſemus, vices licet immeriti gerentes in Terris, ut Chriſti fideles, ubicumque exiſtentes, eò alacrius tam pium, ac ſalutare opus in Pauperum prædictorum utilitatem promoveri conſtantur, quò ſpiritualium gratiarum, quarum diſpenſatores à Domino conſtituti ſumus, muneribus uberius noverint ſe reſectos, paternæ charitatis ſtudio providere cupientes, de Omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate conſili, omnibus, & ſingulis Hoſpitiarum, ſeu Congregationum hujusmodi ubivis tam hætenus canonicè erectorum, ſeu erectarum, quàm in poſterum quodcumque canonicè pariter erigendorum, ſeu erigendarum Deputatis, aliſve quocumque nomine nuncupatis, Miniſtris, & Officialibus, die, quo ſua reſpectivè miniſteria, ſeu officia ſuſceperint, ſi verè poenitentes, & conſeſſi Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumpſerint plenariam.

Plenariam  
pro die in-  
greſſus in  
Congrega-  
tionem.

§. 2. Ipſique, necnon omnibus, & ſingulis eorundem Hoſpitiarum Pauperibus, quos in Hoſpitiis præſatis, ſeu etiam in Hoſpitalibus infirmorum, ad quæ ab ipſis Hoſpitiis tranſlati fuerint, ab humanis decedere contigerit, ac perſonis in Hoſpitiis hujusmodi intervenientibus quibuſcumque nunc, & pro tempore exiſtentibus, in cuiuſlibet eorum mortis articulo, ſi verè pariter poenitentes, & conſeſſi, ac ſacra Communione reſecti, vel quatenus id facere nequiverint, ſaltem contriti Nomen Jeſu ore, ſi potuerint, ſin minus corde devotè invocaverint, etiam plenariam.

Plenariam  
in articulo  
mortis pro  
Infirmis, &  
Intervenien-  
tibus.

§. 3. Præterea illis verè quoque poenitentibus, & conſeſſis, & ſacra Communione reſectis, qui ſui quiſque Hoſpitiū Eccleſiam, Cappellam, ſeu Oratorium, vel ſaltem Majorem, vel Parochialem, ſeu aliam Eccleſiam ſuæ quiſque Civitatis, Terræ, Oppidi, vel Loci ab Ordinariis Locorum reſpectivè deſignandam in duabus dumtaxat anni feſtivaribus per eoſdem Ordinarios ſemel tantum pariter ad id deſignandis, à primis Veſperis uſque ad occaſum Solis feſtivarum hujusmodi annis ſingulis devotè viſitaverint, & ibi pro felici pii operis hujusmodi progreſſu, & propagatione, ac pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſium extirpatione, ac Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, itidem plenariam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus.

Plenariam  
in duabus  
anni feſti-  
vitatibus.

§. 4. Demum eiſdem Hoſpitiarum, ac Congregationum hujusmodi Deputatis, Miniſtris, Officialibus quibuſcumque præſentibus, & futuris, quocumque congreſſibus pro ſalubri ipſorum Hoſpitiarum directione, ſeu ipſis Congregationibus juxta earum inſtitutum ubivis faciendis reſpectivè interfuerint, aut quodcumque aliud pietatis, vel charitatis opus ad ſuum quiſque officium pertinens peregerint, pro quolibet opere hujusmodi ſexaginta dies de injunctis eis, ſeu alias quomodolibet debitis poenitentis in forma Eccleſiæ conſuetæ relaxamus. Præſentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Sexaginta  
dierum  
pro diebus  
in quibus  
Deputati  
congregan-  
tur.

§. 5. Volumus autem, ut earundem præſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu alicujus Notarii publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutæ munitis, eadem proſuſ fides ubique locorum habeatur, quæ haberetur ipſis præſentibus, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ.

Fides ad-  
hibenda  
tranſump-  
tis.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 18. Decembris 1693. Pontificatus Noſtri Anno Tertio.

Dat. 18.  
Dec. 1693.  
P. A. 3.

J. F. Card. Albanus.

Indulgentia Plenaria perpetua in Articulo mortis pro morientibus in Hoſpitali Sanctiſſimi Salvatoris ad Sancta Sanctorum de Urbe.

INNOCENTIUS PAPA XII.

XLVIII.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

EX injuncti Nobis divinitus Sacroſancti Apoſtolatus Officii debito Animarum ſaluti, quantum cum Domino poſſumus, conſulere cupientes, omnibus, & ſingulis utriuſque Sexus Chriſti fidelibus ægrotis in Hoſpitali Sanctiſſimi Salvatoris ad Sancta Sanctorum de Urbe pro tempore morientibus, in cuiuſcumque eorum mortis Articulo, ſi verè poenitentes, & conſeſſi, ac ſacra Communione reſecti, vel, quatenus id facere nequiverint, ſaltem contriti Nomen JESU ore, ſi potuerint, ſin minus corde devotè invocaverint, Plenariam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus. In contrarium facientibus, non obſtantibus quibuſcumque. Præſentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Indulgentia plenaria  
ut in ru-  
brica.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 5. Januarii 1694. Pontificatus Noſtri Anno Tertio.

Dat. 5. Jan.  
1694. P. A.  
3.

J. F. Card. Albanus.

Manda-